

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

et ego non delectabor in Deo salutari meo,  
amico meo, medico meo, qui nempe sanat om-  
nes infirmitates meas, sponso meo, protectore  
meae salutis aq[ue] fidelissimo, ac presentissimo.  
psal. 107.  
O dulcissime Deus, o ut te semper habeam,  
in corde, in ore et praeculis. O ut assidue  
in conspectu tuo cum magna letitia assida-  
scribe, obsecro, in tabula cordis mei sanctis-  
simam tui memoriam, ut nihil carnale,  
nihil indignum cogitem, sed te solum qua-  
eram, et praesentiam tuam in intimis meis  
semper sentiam. Effice, ut ego totus dul-  
cedine sanctae praesentiae tuae plenus, totus  
etiam flamma tui amoris succendat.

## Caput XII

### Continuatio earundem aspirationum.

i O quam magna affici deberem letitia,  
dum considero, mihi semper esse presente  
Deum meum, Dominum meum, creatorem  
meum, tanta maiestatis, ut coram eo contre-  
miscant omnes potestates; tanta immensita-  
tis, ut caelum et terra eum capere non sufficiat.  
tanta pulchritudinis, ut in eum angeli prospicere  
desiderent: tanta nobilitatis, excellentiae et  
bonitatis, ut exsuperet omne sensum. Ecce  
sanctus et talis Dominus semper mihi sua  
exhibet praesentiam, ipse enim supra me,  
infra me, circa me, intra me, atq[ue] in anima

mea velut in celo suo habitat, mihiq; ita intendit, ac si omnium oblitus esset, atq; à singulis vacans mihi soli intendere vellet.

O Domine Deus, o perpetue speculator vite mee! cur vicissim non semper intendo tibi? an ad aliquod melius, praestantius, aut sublimius oculos meos convertere poterò, quam ad te, qui es bonum omnium bonorum, delectatio omnium delectationum, voluptas omnium voluptatum?

O amabilissime, o desideratissime Deus meus illumina oculos meos, ut videam te, et gustem quam suavis sit spiritus tuus! Scio enim dulcissime Deus, nihil mihi tam suave, quam tecum esse, tibiq; adherere.

2. Gaudeo o Domine Deus, quod ego creatura tua sim in te Deo meo, sicut piscis in magno mari, undiq; à maiestate tua veluti circumfusus à dextris et à sinistris, supra et infra; imò quod <sup>non</sup> tantum in te sim, sed etiam tu sis totus in me, totus in fundo anima mea cum infinita pulchritudine, amabilitate, dulcedine, excellentia, magnitudine, opulencia, immensitate, et infinitis aliis perfectionibus tuis. Hunc tam incomparabilem thesaurum, hoc tam immensum bonum cum intra me habeam, quid ultra petere possum? O Deus meus et omnia

nihil praeter te requiro. Sentiat, obsecro, anima mea praesentia tua dulcedinem. Transeat mens mea cuncta sensibilia, figatque oculos suos in te inestimabili ac summo bono meo, in quo solo conquiescere, in quo solo delectari cupio.

Verum o Domine Deus! non solum sum in te, sicut piscis in mari, sed etiam sicut infans in utero, ideo serva me. Sum in te velut pupilla in oculo, ah custodi me. Sum in te velut avis in aere, sustenta me. Tu quoque mi Deus es in me velut anima in corpore, ah vivifica me: velut magister in schola, doce me: velut sol in caelo, illumina me: velut Deus in templo, sanctifica me: praeterea totus es oculus, omnia mea etiam cordis abscondita perscrutans: totus amor me intime complectens: totus bonitas mihi summe beneficiens. O quid rependam iam vigili anime meae inspectori, amatori, benefactori? En totum me tibi trade, suscipe me Domine Deus, suscipe me totum in pignus perpetui mei erga<sup>te</sup> amoris et gratitudinis.

### Caput XIII.

#### Continuatio earundem aspirationum.

O Domine Deus meus video te meipso mihi intimiorem esse; nam saepe anima mea haud sibi praesens est, ac sui ipsius oblita, alio festus; at tu Domine Deus meus nunquam mei oblivisceris, sed perpetuo mihi intentus observas omnes motus cordis mei, intelligis omnes cogitationes mentis meae, dirigis omnes actus meos, ac

+ Hoc sic intellige, ut sicut anima corpori vitam tribuit, ita peniter anima in Deo, et a Deo vitam recipiat.